

tionem. Scilicet magnum est discrimen inter Traditiones eas, quæ dogma aliquod fidei concernunt, atque inter eas, quæ ad ritus Ecclesiasticos, vel narrationes spectant historicas. Traditio enim in genere notat doctrinam, vel doctrinæ aliquam partem, quam alter alteri, tanquam rem aliàs ignotam tradit, ipsique manifestat atque communicat. Talis doctrina vel sumitur in latiori significato, quæ & publicis literarum monumentis est mandata, & vivâ voce expressa, qualis est illa, quando Paulus 1. Cor. XV, 2. dicit: *tradidi Vobis, quod accepistis, si tenetis, nisi frustra credidistis*: ubi statim vers. 3. scripto explicat, quæ sint illa, quæ tradiderit: *Nempe (inquit) tradidi Vobis, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturam, quod sepultus est & resurrexit secundum Scripturam, &c.* vel sumitur, in strictiori significatione pro doctrinâ, vivæ vocis sermone tantum alteri manifestata, aut communicata, non verò scripta.

V. Traditio non-scripta porro dispescitur in *eam*, quæ, quanquam totidem literis & syllabis in Scripturâ S. non habetur, bonâ tamen, certâ, firmâ, & manifestâ ratiocinatione ex perspicuis Scripturæ testimoniis colligi potest: uti Chemnitius loquitur in *Exam. Conc. Trid. P. I. p. 124.* *Quædam enim sunt & dicuntur in Scripturis, quædam verò sunt in Scripturis, tamen si non dicantur* eleganter inquit Nazianzenus apud eundem citatus: & in *eam*, quæ nec explicitè, sive totidem literis & syllabis, nec implicitè, seu bonâ ratiocinatione & consequentiâ in Scripturâ S. continetur. Habet hæc distinctio insignem usum, maximè adhibendum contra Pontificios, qui nos variis modis seducere student. Sic e. g. quæ.